



Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem Sancti Thomæ Tomvs ...

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Disp. CXV. Vtrum relatio rationis fiat solum operatione intellectus, an
etiam aliarum potentiarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

etiam ipsas actus suo referre, cogitando vnam cum ordine ad aliam: at licet apprehendat negationem ad modum substantiæ, priuationem ad modum qualitatis, & de illis philosophetur, & loquatur, ac si essent entia quædam, & ob id dicantur entia rationis, nimirum solum ab intellectu habentia esse: tamen intellectus ea apprehendens, non dicitur habere actum aliquem, quo dicatur aut substantificare, aut qualificare, (vt ita loquar) & propterea non dicitur facere substantiam rationis, aut qualitatem rationis: sicut dicitur facere relationem, quia actu suo illa refert, quæ non ferantur. Vnde discrimen oritur inter relationem, & priuationem, seu negationem: quia hæc duo nec dicuntur entia, nec substantia, nec qualitas, sed dicuntur entia rationis, quod si qualitas, aut substantia vocari deberent, non absolute, sed cum additamento rationis vocanda essent, at relatio rationis sine additamento dici consuevit relatio: quia non solum vna res ad aliam refertur ex se ipsa: sed etiam intellectus refertur dicitur, & actus intellectus, relatio, & comparatio absolute nuncupatur. Et hæc dicta sufficiant circa testimonium S. Thomæ, quo videtur Caietanus pro sua sententia: cum quibus etiam, quædam alia difficulta, quæ dixit idem doctor Sanctus, obiter explicata manent.

Ad rationem pro sententia Caietani in capite 1. allatam respondeo, rationem ad quantumvis abstractam, & præcisam nunquam sine ratione in posse cogitari, quia omnis ratio ad aliquid, tametsi nomen ad non ita exprimat rationem illam in, vt cap. 2. explicabimus.

DISPUTATIO CXV.

Vtrum relatio rationis fiat solum operatione intellectus, an etiam aliarum potenciarum.

Quid sentiat Scotus. cap. 1.

Quomodo relatio rationis fiat per intellectum.

CAPVT I.

Quid sentiat Scotus.

Caietanus in commentario huius articuli putat, Scotum in ea fuisse sententia, vt assereret, relationem rationis fieri non solum per operationem intellectus, sed etiam per operationem cuiusque alterius facultatis conferentis vnum cum altero, qualem putat esse voluntatem, quæ vnum vult propter aliud, & refert ad aliud: quam sententiam optime ipse Caietanus impugnatur hac ratione. Quia relatio rationis est vere ens rationis, sola ergo operatione intellectus, & rationis nostræ fieri debet.

Verum opinio Scoti longe ab ista prædicta sententia, ille enim in primum d. 45. quæst. 1. ad vltimum argumentum vt ostendat, quæ ratione res voluæ a Deo ab æterno referantur, tantum inquit, aut refertur relatione rationis, quam intellectus diuinus sibi format; aut potius relatione quadam consergente, ex operatione ipsius voluntatis diuinæ. Hanc vero docet Scotus nec esse realem, quia non inest extremis suapte natura: nec rationis, quia non fit per intellectum, aut aliquam facultatem, quæ sit formaliter ratio, sed mediam

quandam inter realem & rationis, Affirmat ergo, hanc mediam relationem consurgere ex operatione alterius facultatis, quam intellectus, quæ sententia sano modo explicata verissima est, vt sequenti capite monstrabimus.

CAPVT II.

Quomodo relatio rationis fiat per intellectum.

Superest, vt ostendamus, quo pacto fiat relatio rationis, & an aliqua relatio, quæ postea fit per rationem, ante operationem intellectus initium aliquod habeat in re. Dico ergo primo extrinsecam denominationem non esse relationem inhaerentem rebus, quas denominat.

Secundo existimo, ante intellectus operationem non esse realem aliquam denominationem ab aliqua re, aut forma extrinsecam. Quia denominatio cum sit nominis appellatio, est etiam opus rationis, & res quæ absoluta in se est, si relate denominatur, ab intellectu relate eam concipiente denominatur: nomina enim à nobis imposita sunt vt id, quod de rebus concipimus, significamus: quare concedere denominationem aliquam extrinsecam realem ante quemcunque intellectum contradictionem implicat in adiecto: nam si est denominatio, est alicuius intellectus expressio. Ob hanc eandem causam dicemus infra disp. 120. cap. 6. esse actum distincta per intellectum, quæ ex natura rei non distinguuntur, quoties videtur diuersis nominibus non synonymis, ad ea significandum.

Tertio, nihilominus ante intellectus operationem est in rebus forma aliqua, vel res realis, & quæ intellectus sumat denominationem relatum. Cum enim parietem visum appellat, ex visione, quæ ad parietem terminatur, ipsum relate etiam denominat: & sic de omnibus alijs. Hic tamen obseruandum est, aliquando vtrumque extremum denominari ab aliqua forma relatiua eodem modo: hoc est, eodem nomine; alterum quidem intrinsece, alterum vero extrinsece: vt cum paries dicitur dexter à dexteritate animalis. Aliquando vero opposito modo, vt paries visus à visione, quæ quidem denominat videntem illum, in quo est, non autem denominat visum: contra vero denominat parietem visum, non videntem. Nonnunquam etiam denominatio relatiua ducitur ab aliquo extrinseco, non relatiuo, sed absoluto: vt de bonitate & malitia morali suo loco dicemus: & scientia Dei, seu voluntas relate dicitur ad creaturas, & omnipotentia similiter, etiam si talis forma relatiua non sit alicubi intrinsece: vt notauimus disput. 104. cap. 4. Hac ratione dici consuevit esse denominationem relatiuam realem, extrinsecam tamen, sed ipsam relationem esse rationis: non quia denominatio actu fiat ante intellectum & realis illa sit, sed quia forma vel res, aqua sumitur, realis est, & extrinseca rei denominatæ. Eadem de causa dicimus fundamentum relationis rationis esse à parte rei ante intellectum. Ex qua doctrina notauimus supra q. 14. art. 15. in fine commentarij, diuina attributa, quæ æterna sunt, connotare respectum rationis, non quia ab æterno sit intellectus qui formet huiusmodi relationes, nã diuinus, vt statim probabitur, eas non facit, sed quia ab æterno est sufficiens in Deo, & in

D 4

rebus

2. Relatio intrinseca non inest rebus denominatis.

Denominatio extrinseca non est sine intellectu operatione.

Extrinseca denominatio præcedit reale fundamentum.

A forma absoluta sumitur interdum denominatio relatiua extrinseca.

*Sola notitia
comparati-
ua facit re-
lationes ra-
tionis.*

rebus futuris fundamentum, vt talis denomi-
natio relatiua diuinis attributis conuenire possit.
Quarto etiam si operatione nostræ rationis v-
num dicatur intelligi propter aliud, sicut etiam o-
peratione voluntatis vnum appeti propter aliud,
ex hac tamen operatione nondum resultat rela-
tio rationis, sed fundamentum solum, & res illa,
à qua talis relatio rationis denominationem acci-
pit: sed relatio rationis proprie solum fit opera-
tione intellectus, quæ res apprehenditur, vt rela-
ta, quæ dicitur notitia comparatiua, hanc autem
nulla alia facultas, quam intellectus habere po-
test, solus enim ipse apprehendit rem, vt relatam
& illam comparat ad aliam actum, ad quam re ipsa
non refertur, nec comparatur. Cum vero dicitur
voluntas vnam rem ordinare ad aliam, non ita
est intelligendum, quasi voluntas formet in ob-
iecto relationem, sed quia actu suo vnum appe-
tit propter aliud, hoc est, vnum appetit, quia
representatur illi, vt vtile ad aliud. Sic etiam in-
tellectus intelligit vnum propter aliud, quia
ex notitia vnius in cognitionem alterius mo-
uetur.

Est autem notanda ratio, ob quam intellectus
potest formare, & fingere aliquid, quod non est,
voluntas autem non possit, quia nimirum intel-
lectus hanc vim habet, vt qualitate à se producta
faciat sibi obiectiue præsens aliud distinctum à
qualitate, siue illud habeat verum esse reale, siue
non, voluntas autem non facit sibi aliquid ob-
iectiue præsens, sed id factum supponit per intelle-
ctum, solum autem elicit, & producit in se reale
qualitatem affectus, atqui fictio solum contin-
gere potest in eo quod obiectiue fit præsens, er-
go solus intellectus fingere potest.

Verum quousque intelligat & apprehendat ista
inter se, vt ordinata, expresse & formaliter, non-
dum dicitur, formare relationem rationis: vt S.
Thom. disertè tradit in hoc art. cum ait, *Aliquan-
do vero respectus significatur per ea, quæ dicuntur ad ali-
quid, est tantum in ipsa apprehensione rationis conferentis
vnum alteri, & tunc est relatio rationis tantum.* Simili-
ter ex eo solum, quod sit res voluta, hoc est, ob-
iectum voluntatis: aut sit intellecta, hoc est, ob-
iectum intellectus, non est in obiecto relatio il-
la voluta, aut denominatio, sed fundamentum, &
res, à qua sumendum est nomen, & relatio ratio-
nis concipienda. Ideo rectè dicunt communiter
logici, relationem vniuersalem, quæ dicitur
per intellectum conuenire naturæ, fieri solum
per notitiam comparantem, non per operatio-
nem abstrahentem: hoc est, considerantem natu-
ram vnam sine multis: ex hac enim notitia solum
habet intellectus fundamentum, vt deinde hanc
naturam concipiat, vt relatam abstractam à mul-
tis, & communem, & ita fiat relatio rationis vni-
uersalis.

*Deus non
facit rela-
tiones ratio-
nis.*

Hinc fit, vt Deus nullo modo formet has rela-
tiones rationis, id enim prouenit ex defectu no-
stræ cognitionis, sicut & distinctio eorum, quæ
re ipsa non distinguuntur, vt disp. 118. c. 2. & 3. di-
cemus, non solum quia Deus nihil cognoscit per
alienas species, & instar alterius rei, sed quia res
concipit ita, vt in se ipsis sunt, nec quidquam va-
riantur in eius intellectu, sed eodem modo obij-
ciuntur, sicut in se ipsis sunt. Quare quæ non sunt
composita, intellectus diuinus non concipit vt
composita, & quæ sunt omnino absoluta, non in-

telligit vt relata, quia intellectus Dei nihil in re-
bus ipsis etiam in sua apprehensione mutat. Cum
ergo non conferat, quæ inter se re ipsa non refe-
runtur, nullam relationem rationis in ipsis for-
mat, atque oppositum asserere, plurimum deor-
gat perpeticitati, & simplicitati diuini intel-
lectus. Quæ vero ratione eius voluntas dicatur vel
le vnum propter aliud, vel ad aliud, disputat. 82.
cap. 2. ostensum est.

Hæc, quæ diximus, intelligenda sunt de rela-
tione rationis, nam cum tria sint entia rationis,
negatio, priuatio, & relatio, duo priora non sunt
cum tertio confundenda, vt aliqui falso existima-
runt, neque illa sunt per intellectum eodem mo-
do, quo relatio. Ea enim sunt per intellectum
ita, vt nominantur, & definiuntur, hoc est, ideo
de illis loquimur ea definiendo, & aliqua de illis
prædicando, sicut si essent entia, & nomine affir-
matiuo significamus, quæ ea concipimus ad mo-
dum cuiusdam entis: & nostro conceptui obij-
ciuntur, ac si essent entia, simplici quidam concep-
tu: non enim de illis enuntiamus, esse entia. Quia
ergo conceptus ille obiectiuus negationis, & pri-
uationis, in re non est, sed nobis apparet, ac si esset,
dicitur quidem ens rationis, sed nullo modo est
dicendus relatio rationis: quia ille non fit com-
paratione intellectus, sed simplici apprehensione
quis enim dicat, chimeram seu cæcitatem ad ali-
quid referri per intellectum, & ipsa relatione for-
mari, sicut refertur scibile ad scientiam, & ipsa o-
peratione intellectus referentis, & comparantis
relationem scibilis consequitur.

ARTICVLVS II.

*Vtrum relatio sit in Deo idem quod
sua essentia.*

AD secundum sic proceditur, videtur
quod relatio in Deo non sit idem quod
sua essentia. Dicit enim Augustinus in 5.
de Trinit. quod non omne, quod dicitur
in Deo, dicitur secundum substantiam.
Dicitur enim Ad aliquid, sicut pater ad
filium: Sed hæc non secundum substan-
tiam dicuntur. Ergo relatio non est diui-
na essentia.

2. Præterea. Aug. dicit 7. de Trinit.
Omnis res quæ relatiue dicitur, est etiam
aliquid excepto relatiuo: sicut homo
dominus, & homo seruus. Si igitur rela-
tiones aliquæ sunt in Deo oportet esse in
Deo aliquid aliud præter relationes. Sed
hoc aliud non potest esse nisi essentia. Er-
go essentia est aliud à relationibus.

3. Præterea. Esse relatiui est ad aliud se
habere, vt dicitur in prædicamentis. Si
igitur relatio sit ipsa diuina essentia, se-
quitur quod esse diuinæ essentia sit ad
aliud se habere, quod repugnat perfectio-
ni diuini esse: quod est maxime absolue-
tum & per se subsistens, vt supra ostensum
est. Non igitur relatio est ipsa essentia di-
uina.

Sed contra. Omnis res quæ non est
diuina

diuina essentia, est creatura. Sed relatio realiter competit Deo. Si ergo non est diuina essentia, erit creatura. Et ita ei non erit adoratio latriæ exhibenda. Contra quod in præfatione cantatur. Vt in personis proprietates, & in maiestate adoretur æqualitas.

Respondeo dicendum, quod circa hoc dicitur Gilbertus Porretanus errasse, sed errorem suum postmodum in Remensi concilio reuocasse. Dixit enim quod relationes in diuinis sunt assistentes, siue extrinsecus affixæ. Ad cuius euidentiam considerandum est, quod in quolibet 9. generum accidentis est duo considerare. Quorum unum est esse, quod competit unicuique ipsorum secundum quod est accidens: & hoc communiter in omnibus est inesse subiecto. Accidentis enim esse est inesse. Aliud, quod potest considerari in vnoquoque, est propria ratio vniuscuiusque illorum generum. Et in alijs quidem generibus a relatione, vt pote quantitate & qualitate, etiam propria ratio generis accipitur secundum comparisonem ad subiectum. Nam quantitas dicitur mensura substantiæ: qualitas vero dispositio substantiæ. Sed ratio propria relationis non accipitur secundum comparisonem ad illud in quo est, sed secundum comparisonem ad aliquid extra. Si igitur consideremus etiam in rebus creatis relationes secundum id, quod relationes sunt, sic inveniuntur esse assistentes non intrinsecus affixæ, quasi significantes respectum quodammodo contingentem ipsam rem relatum, prout ab ea tendit in alterum. Si vero consideretur relatio secundum quod est accidens, sic est inherens subiecto, & habens esse accidentale in ipso. Sed Gilbertus Porretanus considerauit relationem primo modo tantum. Quicquid autem in rebus creatis habet esse accidentale, secundum quod transfertur in Deum, habet esse substantiale: nihil enim est in Deo, vt accidens in subiecto, sed quidquid est in Deo, est eius essentia. Scilicet ex ea parte qua relatio in rebus creatis habet esse accidentale in subiecto, relatio realiter existens in Deo habet esse essentia diuinæ, idem omnino ei existens. In hoc vero quod ad aliquid dicitur, non significatur aliqua habitudo ad essentiam, sed magis ad suum oppositum. Et sic manifestum est quod relatio realiter existens in Deo est idem essentia secundum rem & non differt nisi secundum intelligentiæ rationem, prout in relatione importatur respectus ad suum oppositum, qui non importatur in nomine essentia. Patet ergo quod in Deo non est

aliud esse relationis & esse essentia, sed vnum & idem.

Ad primum ergo dicendum, quod verba illa Aug. non pertinent ad hoc quod Paternitas, vel alia relatio quæ est in Deo secundum esse suum, non sit idem quod diuina essentia, sed quod non prædicatur secundum modum substantiæ, vt existens in eo de quo dicitur: sed vt ad alterum se habens. Et propter hoc dicuntur duo tantum esse prædicamenta in diuinis: quia alia prædicamenta important habitudinem ad id de quo dicuntur, tam secundum suum esse quam secundum proprii generis rationem. Nihil autem quod est in Deo, potest habere habitudinem ad id, in quo est, vel de quo dicitur, nisi habitudinem identitatis propter summam Dei simplicitatem.

Ad secundum dicendum, quod sicut in rebus creatis, in illo quod dicitur relatione, non solum est inuenire respectum ad alterum, sed etiam aliquid absolutum: ita & in Deo. Sed tamē aliter & aliter. Nam id quod inuenitur in creatura, præter id quod continetur sub significatione nominis relatiui, est alia res. In Deo autem non est alia res, sed vna & eadem: quæ non perfecte exprimitur relationis nomine, quasi sub significatione talis nominis comprehensa. Dicitur enim supra, cum de diuinis nominibus agebatur, quod plus continetur in perfectione diuinæ essentia, quam aliquo nomine significari possit. Vnde non sequitur, quod in Deo præter relationem, sit aliquid aliud secundum rem, sed solum considerata nomen ratione.

Ad tertium dicendum, quod si in perfectione diuina nihil plus contineretur, quam quod significat nomen relatiuum, sequeretur quod esse eius, esset imperfectum, vt pote ad aliquid aliud se habens: sicut si non contineretur ibi plus, quam quod nomine sapientiæ significatur, non esset aliquid subsistens. Sed quia diuinæ essentia perfectio est maior, quam quod significatione alicuius nominis comprehendere possit, non sequitur, si nomen relatiuum, vel quodcunque aliud nomen dictum de Deo, non significat aliquid perfectum, quod diuinæ essentia habeat esse imperfectum: quia diuina essentia comprehendit in se omnium generum perfectionem, vt supra dictum est.

CONCLUSIO est affirmatiua, de cuius veritate ex professo nobis differendum est. Sed quia eodem modo de distinctione attributorum Dei inter se, & à sua essentia, atque de distinctione essentia, & relationis philosophari debemus: & hucusque disputatio illa, quæ tractari solet qualiter

quæst. 13. articulo 4. amandata est, ideo de illis primum est disputandum.

DISPUTATIO CXVI.

An diuina attributa inter se, & ab essentia suapte natura, vel sola cogitatione distinguantur.

Quid nomine attributi intelligatur. cap. 1.

Quid senserit Gualterus, & Gilbertus. cap. 2.

Opinio Scoti. cap. 3.

Attributa diuina inter se, & ab essentia ante operationem non distingui autoritate monstratur. cap. 4.

Eadem opinio ratione ostenditur. cap. 5.

Respondetur argumentis Scoti. cap. 6.

CAPVT I.

Quid nomine attributi intelligatur.

VT id, de quo suscipitur disputatio, perspicue intelligatur, & variae vocum significationes non sint dissensionis, causa breuiter explicandum est, quid à nobis attributum diuinum appelletur.

Greg. igitur in primum dist. 8. quæst. 2. & Mart. quæst. 12. art. 3. in principio tria distinguunt, attributum, rationem, quam ipsi attributoilem vocant, & perfectionem dictam attributalem. Attributum sic definiunt, est nomen, quod de Deo, de omnibus personis simul, & de qualibet prædicari potest, denotans id, quod esse melius est, quam non esse. Hac ratione excluduntur à ratione attributi nomina relationum; nequeunt de qualibet persona seorsum prædicari: & nomina significantia actionem aliquam, quæ Deo cōuenit ex tempore, vt creatio: quia non est melior ipsa, quam non ipsa; hoc est, non est melius creare, quam non creare: quare hæc nomina, *Pater, Filius, Spiritus sanctus, creator, iustificator*, non sunt attributa Dei. Rationem vero, quam appellant attributibilem, dicant esse conceptum animæ formalem, quem exprimimus de Deo, audita voce ipsa attributi: denique perfectionem ipsam attributalem docent esse rem ipsam, quam de Deo concipimus, conceptum videlicet obiectiuum, quem de Deo habemus.

Fere eodem modo definiuit attributum Gab. in 1. d. 2. q. 2. art. 1. notabili 3. cum ait, esse mentale, seu vocale, seu scriptum prædicabile, quod natū est de Deo dici, & pro eo supponi potest, significans aliquam Dei perfectionem, quæ naturali ratione inuestigatur. Qua sane definitione licet cōplectatur ipse rationem creatoris, non tamen comprehendit relationes diuinas personales.

Durandus autem in primum distinct. 2. qu. 3. num. 6. & 7. putat, bifariam accipi attributum, latiori videlicet significatione, & magis propria priori modo inquit esse attributum, quidquid Deo tribuimus per modum cuiusdam denominationis: & hoc pacto etiam infinitas, & immensas dicuntur attributa. Eodem modo accepit attributum August. Niphus 12. meta. disput. 13. cap. 2. in fine, ubi inquit, attributum esse in Deo quidquid de ipso per modum accidentis, & adiectiui prædicatur: in quem sensum Auerroës 12. met. com. 39. attributa Dei vocauit dispositiones,

quasi additas essentiae. Posteriori modo, inquit Durandus, dicitur attributum, quod significat aliquam perfectionem communem Deo, & creaturis, vt iustitia, misericordia, & alia id genus: quod pacto aternitas, immensitas, & infinitas, & similia non sunt dicenda attributa. Sic videtur uisasse attributum Henricus quodlib. 5. qu. 1. lit. ra B. & H.

Denique Canariensis Episcopus in hunc articulum disp. 1. par. 2. asserit, attributum esse perfectionem Dei, quæ neque est relatio, neque illam rationem continet, siue realē, siue rationis: nihilominus intellectum, voluntatem, intelligere, & velle, inquit esse attributa: quia quauis vocaliter significentur, in suo tamen conceptu relationem non habent, nisi consequenter.

Mihi autem placet definitio Gabrielis, quam supra retulimus, ita, vt non definiatur nomen attributi, vt ille definit, sed res significata per nomen hoc est quæuis in Deo perfectio, quæ naturali ratione inuestigari potest, & à nobis significatur per modum alicuius formæ Deo adiacentis, qualis est sapientia, intellectus, voluntas, misericordia, &c. de quibus nunc controuersa est, quomodo inter se, & ab essentia distinguantur, rem re ipsa, an sola cognitione. De relationibus vero, cum eadem sit nobis postea futura quaestio, in præsentia nihil dicemus: quare nec nomine attributi ipsas comprehendimus.

CAPVT II.

Quid senserint Gualterus, & Gilbertus.

AVgustinus Niphus 12. Metaph. disput. 13. cap. 3. refert sententiam Gualteri asserentis, cum summa Dei simplicitate esse distinctionem realem attributorum inter se, & ab essentia diuina. Probat vero, quia ea, quæ sunt in diuersis prædicamentis, vel quasi sunt in diuersis prædicamentis, distinguuntur realiter, attributa autem Dei, & essentia quasi sunt in diuersis prædicamentis: ergo inuicem distinguuntur realiter. Cum hac tamen distinctione Dei simplicitatem defendit hoc modo, quia vt aliquid ex pluribus componitur, non solum requiritur pluralitas, sed illa pluralitas, quæ in eo reperitur, ita debent inuicem vt partes comparari, vt vnum habeat rationem actus, alterum vero rationem potentie, aut iter se, aut respectu alicuius terrij, quod componunt, in Deo autem nihil potest habere rationem potentie, ergo licet in eo sint plura, non est compositio. Hac ratione vsus est postea Scotus, vt cum illa distinctione ex natura rei, quam ipse communiscitur, eandē Dei simplicitatem conferuet, citius in sententia quantum ab hac differat re ipsa, infra dicemus.

In hac eadem sententia putant aliqui fuisse Gilbertum Porretanum Episcopum Pictauiensem in commentario super Boetium de Trinitate, ubi vt refert Bernardus sermone 80. in Cantabrigia, has propositiones sic concedebat, & non contradicebat: *Præter est veritas, id est, verus, siue est veritas, id est, verus: Spiritus sanctus est veritas, id est, verus: & hi tres sunt vna veritas, id est, vna veritas.* Sic dicebat magnitudinem Dei, aut substantiam Dei, non esse ipsum Deum, ex quo aut veritatem Dei, non esse ipsum Deum, ex quo attributa ab essentia saltem, & ab ipso Deo differre